

in particeps quolibet pravae communionis effecto execrationem sui gestat et poenam¹, et non tibi adplaudas de iuventute corporis, si es Machario inveterato et Macedonio in excessibus conveteratus. Cunctis, inquit beatus Gregorius, scientibus liquet, quod vitia ad vetustam vitam pertinent, virtutes ad novam. Unde et Paulus dicit²: exuentes vos veterem hominem cum actibus suis et induentes novum, et iterum dicit³: vetus homo noster⁴ simul crucifixus est. Psalmista itaque typus⁵ humani generis⁶ loquens inter malignos spiritus deprehensus dicit⁷: inveteravi inter omnes inimicos meos. Contra quam inveterationem medicamentum salubre renovationis nobis propinat apostolus dicens⁸: renovamini⁹ spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, quia etsi exterior homo noster¹⁰ corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem, et a vitiosa vetustate¹¹ cotidie renovamur, si studia circumspectionis invigilent; orando namque, legendo, bene vivendo renovamur, quia vita nostra, dum lacrimis lavatur, bonis operibus exercetur, sanctis meditationibus tenditur ad novitatem suam, sine cessatione reparatur.

3.

Verba sanctorum patrum tam in canonibus quam in decretis determinate secundum sensum ipsorum¹², non pro nostri arbitrii iudicio accipienda videntur. Cum enim legatur in eis, quod per pecuniam ordinans et ordinatus proprii gradus periculo ambo subiaceant, necnon promovens dispensatorem aut defensorem interventu precii¹³ vel quemquam subiectum regule nichil, vel ipse vel promotus, ex hac promotione proficiat¹⁴, sed et mediator datis vel acceptis comprobatus, si clericus, proprio gradu¹⁵ decadat, si laicus aut monachus, excommunicetur, nisi a laxitate idem fuerit atus(?)¹⁶, haec et his similia a lectoribus caute intellecta restringantur; interdum <enim>¹⁷ veritati consonare¹⁸ minime inveniuntur. Est namque, ut interim de consecrationibus quocumque modo¹⁹ factis taceam, quando dispensator aut defensor per pecunias sibi salu-

1) Vgl. Opusc. LV cap., c. 22, Migne CXXVI, 368. 2) Col. 3, 9—10. 3) Rom. 6, 6. 4) 'nrt'. 5) 'typo'. 6) Vgl. Gregor, In VII psalms poen., Migne LXXIX, 550 f. 7) Ps. 6, 8. 8) Eph. 4, 23—24. 9) Aus 'renovavi'. 10) 'nrt'. 11) 'vestustate'. 12) Ueber der Zeile nachgetragen. 13) 'interventu precii' am Rande nachgetragen. 14) 'per pecuniam facta (diese Worte getilgt) proficiat'. 15) 'gendu' corr. 16) 'idem fuerit atus] ^{diffinitatis} idefinitatis'. 17) Das Eingeklammerte hier und im Folgenden von mir zugesetzt. 18) 'consonari' corr. 19) 'modo' über der Zeile nachgetragen.